

FR. REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE, O. P.
Roma, Angelicum

De paternitate Sancti Ioseph

His ultimis temporibus fuit controversia circa hanc quaestionem : in quo sensu S. Ioseph est pater Christi? R.mus Dominus Gabriel Breynat, O. M. I., Archiepiscopus titularis Garellensis, typis mandavit librum sub isto titulo : *Saint Joseph, père vierge de Jésus*, Montréal, Canada, 1944, cuius principalia capita prius edita sunt in *Revue de l'Université d'Ottawa*, 1936, 73-80; 1938, 81-111. Crisim instituerunt horum articulorum Fr. Blanchin, *La paternité de S. Joseph*, in eodem periodico 1936, 149-158, et Al. Janssen, *Ephemerides theologicae Lovanienses*, 1939, 154 s. Eorum obiectionibus R.mus Dominus Breynat respondet in libro citato.

Quaestio non est minoris momenti, et cum S. Thomas pro utraque parte citetur, quaerenda est quaenam est, iuxta ipsum, traditionalis doctrina de paternitate S. Ioseph.

Opinio recenter proposita

R.mus Dominus Breynat in toto suo libro loquitur ac si S. Ioseph esset pater proprie dictus Iesu, sed semper addit eum nullo modo concurrisse ad generationem physicam Iesu, cuius virginalis conceptio est effectus miraculosus operationis Spiritus Sancti (cf. p. 28, 78, 79, 119, 146). Clarissimus auctor pluries dicit: « S. Ioseph est pater Iesu *mente tantum, non corpore*, seu « est pater *virgo Iesu* », attamen *realiter* Pater; et quamvis non dicat « proprie », loquitur ac si ita esset, immo p. 109 dicit: « Ioseph est « père » dans « le sens plénier du mot ».

Ad suam thesim probandam, affert S. Scripturam, Traditionem, et rationem theologicam:

1º *In S. Scriptura*, in Ev. sec. Lucam II, 48 legitur B. Mariam V. dixisse: «*Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te*». Item apud Lucam II, 43, dicitur: «*Remansit puer Iesus in Ierusalem et non cognoverunt parentes eius*». R.mus Dominus Breynat addit (p. 82): «*Neque mentitur Evangelium*», ut dicit S. Augustinus.

Sed quarendum esset: an Evangelium, his locis, loquatur de patre *in sensu proprio*. Saepe S. Scriptura utitur verbis in sensu lato, v. g. quando Deus dicitur *Pater noster*, hoc intellegitur non in sensu proprio secundum quem Deus Pater dicitur Pater Filii unigeniti, sed sensu lato, secundum quem Deus dicitur pater adoptivus iustorum.

2º *Ad argumentum traditionis* R.mus D.nus Breynat invocat plures auctores (p. 55-65) iuxta quos paternitas S. Ioseph superat paternitatem adoptivam communem et paternitatem nutriciam, quia *per accidens* est quod homo et uxor eius adoptent pupillum parentibus orbatum, aut quod aliquis homo fiat pater nutricia alicuius infantis ex alio matrimonio nati, dum e contrario missio omnino exceptionalis S. Ioseph et verum eius matrimonium cum B. Maria Virgine *specialiter ordinata sunt* ad dignam nativitatem, protectionem et educationem Iesu. Immo, ut dicitur p. 65, haec exceptionalis missio S. Ioseph terminative pertinet iuxta plures theologos ad ordinem hypostaticum.

Utique, iuxta hos theologos, haec missio pertinet terminative ad hunc supremum ordinem, non quidem cooperatione physica, intrinseca et immediata, sed morali, extrinseca et mediata, mediante B. Maria Virgine.

Sed, hoc admisso, non sequitur quod S. Ioseph sit pater proprie dictus Iesu, neque hoc affirmatur a Patribus, nec a theologis sufficientis auctoritatis ad constituendum traditionis argumentum.

3º Denique R.mus D.nus Breynat (p. 67-93) proponit argumentum theologicum desumptum ex vero matrimonio S. Ioseph cum B. Maria V. De eo dicit S. Thomas (IV dist. 30, q. 2, a. 2, ad 4): «*Hoc matrimonium fuit specialiter ad hoc*

ordinatum quod proles illa susciperetur in eo et educaretur ». Cl. auctor addit: verum autem matrimonium constituit familiam, quae componitur ex patre, matre et puerō. Dicit (p. 83): « Assumant ainsi la nature humaine à sa propre mesure infinie, le Verbe l'assume évidemment dans sa plénitude de nature, dans la plénitude de ses lois essentielles, donc dans la plénitude des lois de sa fécondité impliquant la famille comme véhicule de transmission ».

Cl. auctor loquitur ergo ac si S. Ioseph esset pater Iesu non solum in sensu lato, sed in sensu proprio, quamvis tamen « non corpore, sed mente tantum ». Contra hoc scripsit P. Al. Janssens, *Ephemerides theolog. lovanienses*, 1939, 154 s.

Ad respondendum obiectionibus P. Al. Janssens, R. mus D.nus Breynat (p. 98 ss.) dicit: « la paternité de saint Joseph n'est point une paternité au sens plénier de paternité physique et charnelle... C'est une paternité mystique, dans le sens de mystérieuse. Paternité transcendante, qui dépasse beaucoup, comme tant d'autres mystères, la portée de notre intelligence. Paternité d'autant plus vraie et plus réelle qu'elle est plus pure, qu'elle est virginal. "Tanto coniunctius pater quo castius" dit saint Augustin ». — Item p. 134: « Si la paternité humaine n'a pas été physiquement comprise par l'assomption par le Verbe de la plénitude de la nature (humaine), elle est restée en dehors de la récapitulation totale par le Christ ». — Pariter p. 83: « Le Verbe assume la nature humaine dans la plénitude des lois de sa fécondité, impliquant la famille comme véhicule de transmission ». Verbum sic assumpsisset hoc exceptionale matrimonium specialiter ad Incarnationem ordinatum. Item p. 87: « Les parents du Christ, en vertu de l'assumption de leur mariage lui-même impliqué dans l'assumption de la plénitude de la nature humaine, appartiennent donc à l'ordre de cette plénitude de nature et de transcendence, comme principe générateur conjoint, mais toujours par élévation préalable à cette fonction surnaturelle ». — Item p. 23: « Ces personnes n'entreront point du fait, dans l'union hypostatique elle-même. Cependant, du dehors, elles seront dans la plénitude du sens métaphysique, père et mère du Verbe incarné »; — page 109: « Comment peut-on encore hésiter à appeler

Joseph « père » dans le « sens plénier » du mot, alors que, par cette volonté même du Créateur, il est fait père d'une manière plus parfaite que dans le sens propre et ordinaire ».

Quomodo S. Ioseph potest esse pater secundum sensum plenum, si non est pater secundum sensum proprium?

Attente consideranda esset distinctio intra *sensum proprium* et *sensum non proprium*, sed cl. auctor hoc non satis perpendit et dicit p. 81 ss. : « Joseph est cause formelle dispositive, *mente tantum et non corpore* de la génération de Jésus » et p. 84 : « Conjointement avec son épouse, Joseph a donc réellement contribué, quoique négativement et par abstention physique, à la génération virginal de Christ. Il a donc droit au titre de Père vierge de Jésus ».

* * *

R. mus Dominus Breynat est magnus missionarius qui immensum bonum fecit in sempentrionali regione Americae, in extremis terris polo vicinis, ubi prius regnabat magia; has remotas regiones modo saepe heroico evangelizavit, et fructus uberrimi huiusc apostolatus optime cognoscuntur ac admirationem movent. Unde facile intelligitur magna devotio cl. auctoris erga S. Ioseph, cuius intercessio obtinuit plura miracula in istis difficillimis missionibus Oblatorum B. Mariae Virginis. Sed quaeritur quaenam est traditionalis doctrina circa paternitatem S. Ioseph.

Imprimis notandum est quod opinio R. mi D. ni Breynat notabiliter differt ab opinione P. R. Petrone quae reprobata est a Sancto Officio anno 1928.

P. R. Petrone scribebat in periodico *Divus Thomas*, Placentiae 1928, p. 41 ss., 43 : « La mia prima conclusione è appunto che per Giuseppe si deve ammettere una *paternità naturale incompleta*... E qui formulo la mia seconda conclusione molto più grave della prima, e cioè la *paternità di Giuseppe non fu assente nella concezione di Cristo, in cui intervenne come cooperatore dello Spirito Santo... come elemento strumentale sotto l'azione divina*. La sua azione per quanto strumentale entra efficienter sotto la mozione dello Spirito Santo, nel mistero dell'unione ipostatica » (*ibid.* p. 47).

R. mus D. nus Breynat hoc non affirmat, dicit solum p. 84: « Joseph a réellement contribué, quoique *négativement et par abstention physique*, à la génération virginal du Christ ».

P. R. Petrone aiebat, *loc. cit.*, p. 47: « La mia conclusione è ben distinta da un'opinione contenuta in un libro del P. Corbato « quo ad examen vocato praesertim quod spectat ad doctrinam ab auctore expositam et propugnatam de divina paternitate S. Joseph reali et proprio dicta » (*Monitore Ecclesiastico*, 1907, vol. 19, serie II, 9, p. 433), per cui il libro fu posto all'indice ».

Attamen articulus P. R. Petrone reprobatus est a S. Oficio, cf. *Divus Thomas*, 1928, p. 361.

Sunt igitur tres opiniones notabiliter diversae: 1º paternitas realis et proprio dicta (P. Corbato); 2º paternitas per cooperationem positivam instrumentalem ad generationem virginalem (P. R. Petrone); 3º paternitas per realem cooperationem negativam, scil. per abstentionem physicam, ad generationem virginalem Christi. Haec ultima opinio, quamvis distincta a secunda, nimis appropinquat ad eam, prout tenet quod S. Joseph est realiter pater Christi « *sensu pleno, secundum plenitudinem sensus metaphysici, quamvis non physique* ». Comparanda est cum doctrina traditionali a S. Thoma exposta. Hoc utile est, quia quidam alii auctores recentes non videntur sufficienter servare, in hac difficiili quaestione, exactam terminologiam, et ex defectu in modo loquendi facile oriuntur errores doctrinales (¹).

Doctrina traditionalis de paternitate Sancti Joseph secundum S. Thomam

Traditionalis doctrina clare dicit quid non est paternitas S. Joseph, sed difficilior est dicere positive quid est. S. Thomas in IV, dist. 30, q. 2, a. 2, ad 4, dicit eam superare paternitatem adoptivam communem, sed non dicit modo valde

(¹) In opere Iosephi Grimm († 1896) *Leben Jesu* in ed. secunda, adiuvante Jos. Zahn edita (Regensburg 1893, p. 166), legitur quod S. Joseph est pater Iesu *sensu pleno* « im vollen Sinne des Wortes ».

explicito quid est, quia est quid omnino exceptionale. Ut notat Cardinalis Billot : « Caeterum cum casus sit omnino sui generis et prorsus singularis, non est in vocabulario humano nomen quo talis relatio significetur ». De Verbo incarnato, 4 ed. 1904, p. 400 s. Item J. Bover, S. I., *De cultu S. Joseph amplificando*, Barcelona 1926, p. 18.

Textus magis explicitus S. Thomae est hic: IV Sent., d. 30, q. 2, a. 2, ad 4^m: « *Proles non dicitur bonum matrimonii* solum in quantum per matrimonium proles *generatur*, sed in quantum in matrimonio *suscipitur et educatur*, et sic bonum illius matrimonii (scil. S. Ioseph et B. Mariae V.) fuit proles illa (Iesus), et non primo modo; nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii, quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter quod proles illa susciperetur in eo et educaretur ».

Sed in theologia firmiter tenendum est quod *paternitas S. Ioseph non est paternitas proprie dicta*; propter hoc liber P. Corbato damnatus est ann. 1907, ut agnoscit P. R. Petrone, sed hic auctor et R. mus D. mus Breynat nimis ad hanc opinionem appropinquant.

Secundum doctrinam traditionalem *paternitas proprie dicta est per generationem*; et omnis paternitas quae non est per generationem dicitur paternitas solum in *sensu lato*, *non proprio*. Insuper utraque dicitur analogice seu proportionaliter sicut sequitur:

<i>paternitas dicitur analogice</i>	<i>proprie</i>	$\left\{ \begin{array}{l} \text{de paternitate increata per generationem aeternam Verbi unigeniti, non facti;} \\ \text{de paternitate creata inter vivos eiusdem speciei per generationem physicam;} \end{array} \right.$
	<i>non proprie</i>	$\left\{ \begin{array}{l} \text{de paternitate Dei adoptiva erga nos per gratiam;} \\ \text{de multiplici paternitate humana, scilicet :} \\ \quad 1^{\circ} \text{ S. Ioseph erga Filium sponsae suae,} \\ \quad 2^{\circ} \text{ de paternitate adoptiva,} \\ \quad 3^{\circ} \text{ de paternitate nutricia,} \\ \quad 4^{\circ} \text{ de paternitate spirituali,} \\ \quad 5^{\circ} \text{ de paternitate intellectuali.} \end{array} \right.$

Paternitas proprie dicta est per generationem. Haec propositio est omnino certa et fundamentalis tum in tractatu de SS. Trinitate ad distinguendam primam processionem a secunda quae non est generatio; tum quando agitur de divinitate Christi, ad ostendendum in quo sensu dicitur, in S. Scriptura, Filius Dei, scil. Filius proprius et non solum adoptivus; tum quando agitur in theologia, v. g. in tractatu de matrimonio, de paternitate humana proprie dicta. Dubium de hac propositione everteret multas conclusiones ab omnibus admissas ut certas.

Haec autem propositio explicatur a S. Thoma dum saepe dicit (cf. Tabulam auream operum eius ad v. *Filius*, n. 11): «*Pater* (proprie dictus) *dat tria: esse, nutrimentum, educationem*»⁽¹⁾. Si pater dat *esse per generationem*, iam est *pater proprie dictus*, etiamsi sit illegitime per adulterium; sed non est pater *in pleno sensu*, nisi det cum existentia, nutrimentum et rectam educationem.

Nec possumus admittere cum R.mo D.no Breynat quod aliquis possit esse pater in pleno sensu et tamen non in sensu proprio. Sensus plenus praesupponit sensum proprium et ei aliquid addit tanquam perfectionem; v. g. puer est homo secundum sensum proprium, prout est in specie humana, sed non est homo in pleno sensu, quia nondum est adultus, et sic nondum potest generare.

S. Thomas dicit etiam: «*Tria requiruntur ad patrem (proprie dictum), scil. quod producat de substantia eius sibi simile in specie et principaliter*»⁽²⁾. Speciatim scribit in III Sent., d. 4, q. 2, a. 1, 4^m: «*Licet Spiritus Sanctus plus fecerit active in conceptione Christi quam B. Virgo, non tamen potest dici pater*, quia in eo non inveniuntur conditiones patris: sicut quod ex sua substantia et sibi similem in specie filium producat et alia huiusmodi». Item IV C. *Gentes*, c. 23 fine: «*Quamvis Spiritus Sanctus verus sit Deus et veram naturam divinam*

(1) Cf. I^{am}, II^{ae}, q. 100, 5, 4^m; II^a, II^{ae}, q. 102, 1, c.; q. 106, 1, c.; 6, 1^m. Ephes. VI, lect. 1 — et plures in Sententias.

(2) C. *Tabulam auream operum S. Thomae* ad verbum *Pater*, n. 3, *Filiatio*, n. 6.

habeat a Patre et a Filio, non tamen oportet quod *Filius* sit. *Filius enim dicitur aliquis ex eo quod genitus est*; unde, si res aliqua naturam alterius acciperet *non per genitum*, sed per alium quemcumque modum, ratione filiationis careret; ut puta si homo, virtute sibi divinitus ad hoc concessa, hominem *faceret ex aliqua sui corporis parte vel etiam exteriori modo* sicut facit artificiata, productus homo non diceretur *filius* producentis, *quia non procederet ab eo ut natus*. Unde Spiritus Sanctus, *quia non genitus a Patre et Filio, non dicitur Filius*.

Certum est igitur quod paternitas proprie dicta est *per generationem*, et dicitur analogice, seu proportionaliter, de paternitate ordinis creati inter viventia eiusdem speciei per generationem physicam et de paternitate increata per generationem spiritualem et aeternam Verbi, qui est *Filius unigenitus, non factus*, ita etiam ut Verbum incarnatum *nullo modo sit filius adoptivus*, quia iam est personaliter ab aeterno Filius Dei per naturam. Est igitur distantia sine mensura inter filiationem proprie dictam et filiationem non proprie dictam, ut est filatio adoptiva. Et hoc est quid capitale in quaestione de paternitate Sancti Ioseph.

Sed *paternitas improprie dicta* seu in sensu lato, multiplex est. Ratione dignitatis prior est *paternitas Dei erga iustos, angelos et homines*, qui sunt *filii eius adoptivi* per gratiam, scil. per participationem divinae naturae.

Deinde venit *paternitas Sancti Ioseph* per respectum ad Iesum, filium coniugis suae Mariae. Est paternitas quae est omnino *sui generis*, unica in mundo, et valde excelsa inter paternitates improprie dictas. Sed esset error perspectivae, si, propter hanc excelsitatem, diceretur paternitas proprie dicta, et a fortiori si diceretur paternitas secundum « sensum plenum ».

Superat quidem *paternitatem adoptivam*, quae tamen comam lege fundat iura et officia patris erga puerum adoptatum.

Superat etiam paternitatem eius qui est solum *pater nutritius*.

Differt insuper a *paternitate spirituali* et a *paternitate intellectuali*, quae sunt paternitates per translationem, seu metaphoricae, sed ordinis immaterialis, et quandoque valde excelsae ut paternitas spiritualis Summi Pontificis, aut paternitas alicuius fundatoris ordinis religiosi.

Haec celsitudo non facit quod in his casibus sit sermo de paternitate proprie dicta. Item sacerdotium B. Mariae V. non est sacerdotium proprie dictum; Mater Iesu non accepit characterem sacerdotalem et non posset consecrare Eucharistiam; si proinde titulus « Virgo sacerdos » diffunderetur inter fideles, esset periculum redeundi ad confusione protestantium inter sacerdotium proprie dictum et sacerdotium improprie dictum. Sacerdotium B. Mariae Virginis est mysticum, sed excelsum, quia dignitas Matris Dei corredemptricis superat dignitatem sacerdotum qui sunt ministri Christi. Altius est dare Verbo naturam humanam assumptam quam instrumentaliter ei dare praesentiam sacramentalem, et altius est offerre cum Christo immolationem eius cruentam Calvarii, quam immolationem incruentam Missae. Attamen, non obstante hac excelsitate, sacerdotium B. Mariae Virginis non est sacerdotium proprie dictum.

Item paternitas adoptiva Dei erga iustos valde superat paternitatem proprie dictam hominis qui puerum generat, sed non sequitur ex hoc quod paternitas adoptiva Dei sit paternitas proprie dicta.

Doctrina traditionalis non minuit paternitatem Sancti Ioseph. Sine difficultate admittit eam superare paternitatem adoptivam communem, quia *per accidens* est quod homo et uxor eius adoptant puerum parentibus orbatum, dum e contra tota missio exceptionalis Sancti Ioseph specialiter ordinata est, sicut matrimonium eius, ad dignitatem nativitatis Domini, ad eius protectionem et educationem. Ad hunc finem, ut dicit Bossuet « Joseph a reçu un *cœur de père* pour Notre Seigneur », sic Ioseph accepit omnes gratias eminentissimas ad suam missionem altissimam perfecte adimplendam. Immo haec missio includitur in ipso decreto Incarnationis, quia decretum istud versatur circa Incarnationem *hic et nunc* producendam, scil.

circa Incarnationem Filii Dei « *ex virgine desponsata viro, cui nomen erat Ioseph* » Luc. I, 27. Sic videtur verum dicere cum Suarezio, pluribus aliis theologis et recenter R.mo Domino Sinibaldi (*La grandezza di S. Giuseppe*, 1927, pagine 33-36): missio unica in mundo Sancti Ioseph pertinet terminative ad ordinem hypostaticum, sed solum per cooperationem extrinsecam, moralem et mediataam, scil. mediante B. Maria Virgine, quae ipsa est *proprie* Mater Dei⁽¹⁾.

Non potest igitur dici quod S. Ioseph est pater Christi in sensu proprio et a fortiori in sensu pleno. Sed praedestinatus est ab aeterno ad hoc quod fieret, in ordine causarum moralium, custos virginis Mariae et protector Verbi incarnati.

Propterea Leo XIII scripsit in Encyclica « *Quamquam pluries* », 15 Aug. 1899, de Patrocinio universalis S. Ioseph: « Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, *ad illam praestantissimam dignitatem*, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim coniugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si *sponsum Virgini* Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginalis testem, tutorem honestatis, sed etiam *excelsae dignitatis eius* ipso coniugali foedere *participem* ».

Ex hoc sequuntur omnes tituli S. Ioseph qui enumerantur in eius Litaniis: « Sancte Ioseph, Dei Genitricis Sponse, custos pudice Virginis, Filii Dei nutritie, Christi defensor sedule, almae Familiae praeses, Ioseph iustissime, castissime, prudenter, Ioseph fortissime, oboedientissime, fidelissime... Ioseph exemplar opificum, domesticae vitae decus, custos virginum, familiarum columen, solarium miserorum, spes aegrotantium, patrona morientium, terror daemonum, protector Sanctae Ec-

(1) Ita R.mus D.nus Sinibaldi, loc. cit.: « Mentre la cooperazione di Maria è intrinseca, fisica, immediata, quella di Giuseppe è estrinseca, morale, mediata (per Maria); ma è vera cooperazione ».

clesiae, ora pro nobis ». Non ei tribuitur paternitas proprie dicta, nec a fortiori plena, per respectum ad Iesum, sed altissima gratia et gloria post Dei Genitricem, et patrocinium proprie universale, quod tamen, ad imaginem providentiae divinae, descendit ad minima particularia. Hic cultus liturgicus vere procedit ex plenitudine contemplationis gratiarum quae ex tanta praedestinatione derivantur; nulla est exaggeratio nec diminutio, est perfecta harmonia legis orandi et credendi.